

**Rector Universitatis Rostochiensis Joachimus Schnobelius, I.U.D. & Professor,  
Ad Exequias Quas Viro ... Dn. Johanni Hempelio, Iudicii superioris in hac Civitate  
Procuratori & caussarum Patrono solertissimo Liberi & Gener moestissimi paratas  
cupiunt Omnes omnium ordinum Cives Academicos ... invitat**

Rostochii: Kilus, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771248091>


Druck Freier  Zugang



Schnobel, J.,  
in **F. Hempel.**

**Rost. 1649.**

33.







RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
JOACHIMUS SCHNOBELIUS,

J. U. D. & Professor,  
AD EXEQUIAS

*Quas*

*Viro Erudito & Prudenti*

DN. JOHANNI  
HEMPELIO,


Judicii superioris in hac Civitate Pro-  
curatori & caussarum Patrono  
solertissimo

*Liberi & Gener maestissimi paratas capiunt*

Omnes omnium ordinum Cives Aca-



adamicos amicè & diligenter  
invitat.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO 1649.


167

# RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOACHIMUS SCHNOBELIUS,

J. U. D. & Professor.



um variæ hominum in hac  
vita fugaci curæ sint, ac cogitatio-  
nes, tum nulla piis est frequentior,  
quàm ut potiozem illam, ad quam  
conditos se esse meminerunt, vitam assequan-  
tur. Sicut enim viator quò & quâ iturus est cum  
animo suo assiduè volvit, ita qui peregrinos sese  
& ad patriam cælestem petendam in hanc lucem  
velut emissos esse sciunt, assiduâ cogitatione &  
desiderio ad illam contendunt. Plurima qui-  
dem illis obveniunt negotia pro cujusq; statu,  
officio, & conditione procuranda, tanti tamen  
ea nunquam sunt, ut à proposito hoc peregrina-  
tionis termino eos ulla ratione dimovere, aut in  
transversum abripere, vel oblivionem ejusdem  
inducere valeant. Quod cum plurimorû, qui in  
administrandâ republicâ, gerendis bellis, aliisque  
negotiis humanis fuerunt occupatissimi, cursum  
tamen vitæ ad vitam æternam æquabilem tenu-  
erunt exempla testantur, tum vir Eruditus &  
Prudens DN. JOHANNES HEMPE-  
LIUS Judicii in hac urbe superioris Procurator  
insignis, cui hodie justa solvenda sunt, illustre  
docu-

documentum præbet. Hujus enim, vita, prout  
publicè notum, curis & negotiis forensibus  
fuit plenissima: eandem tamen ita semper egit  
rexit ac moderatus est, ut pietatem ubiq; spira-  
ret, & non tam foro quàm polo videretur man-  
cipata. Quò factum, ut divino favore adjutus per  
terrenas hasce salebras fortiter tandem penetra-  
rit, & quò tendebat æternæ felicitatis statio-  
nem consecutus sit. Curriculum igitur vitæ ejus  
prout illud in chartâ consignatum nobisq;  
exhibitum est, porrò sic habete. JOHANNEM  
HEMPELIUM *τον υἱον μακαριστην* opidum quoddam  
Silesiæ **Streeß** duobus milliaribus à Metropoli  
istius Provinciæ celeberrima Vratislavia distans  
anno supra millesimum quingentesimum octo-  
gesimo quarto ipsis Kalendis quintilibus in lucē  
produxit. Parentes habuit tenuioris quidem  
fortunæ, vitæ tamen, conditionis, ac famæ hone-  
stæ, quæ adhuc post fata ab indigenis celebratur.  
Pater ipsi fuit **Marten Hempel** Civis & Sutor opi-  
di prædicti probus & integerrimus: Mater **BAR-  
BARA Pilgram** ex antiqua Pilgramorum fa-  
miliâ oriunda. Parentes hi filium ex sese natum  
&, quæ prima de ipso cura fuit, ritu in Ecclesiâ  
Christianâ solenni per lavacrum aquæ regeni-  
tum ac Christo Servatori suo insertum, quam pri-  
mùm eam ætatem attigit, in quâ pueriles animi  
prima literarum elementa discere possunt, pa-




riae Scholæ Præceptoribus informandum commiserunt, sub quorum etiam magisterio & disciplinâ in doctrina ac capitibus Christianæ religionis & fundamentis artium ac linguarum ita profecit, ut spem præclaræ eruditionis consequendæ optimam de sese præberet. Et quamvis in medio discendi cursu, ubi annum ætatis decimum septimum, quo togam virilem induere & studia solidioris scientiæ aggredi tempus erat, ardigisset, Patrem, à quo spes omnis sumptuum ad doctrinam comparandam necessariorum dependebat, amitteret, eo tamen casu neutiquam absterri se passus est, quin studiorum amore semel inflammatus, quem cœperat, cursum continuaret. Matris igitur voluntate ad capessendum uberio rem ingenii cultum in Magdaleneam Vratislaviensem Scholam sese contulit, ubi & aliorum liberos disciplinâ rexit, & optimis ejusdem scholæ præceptoribus seipsum erudendum præbuit. Imprimis verò Viro Clarissimo Dn. JOHANNI ab *Hœckelschhofen* Docentium præcipuo ac quasi Principi se totum quasi addixit, illum docentem præ cæteris per integrum sexennium assiduè audivit, ejusq; prælectiones in Logicam, Rhetoricam, Physicam, Mathesin & Ethicam aviditate incredibili excepit, quarum non exigua volumina suâ manu conscripta, sicut & librum phrasium Poëticarum ex toto Ovidio

dio proprio Marte excerptarum manu scriptum  
mœstissimo nunc filio velut laboriosæ suæ dili-  
gentiæ juvenilis insigne argumentum commu-  
nicavit & reliquit. Anno dehinc ætatis suæ vice-  
simo tertio, cùm Vratislaviensi schola, in quâ nõ  
solùm artium inferiorum ac trivialium, sed &  
philosophiæ cursum propemodum absolverat,  
relictâ, Academiam quandam petere meditare-  
tur, nostram hanc potissimum elegit, & cùm sta-  
tum Academiæ Francofurtensis ad Viadrum in  
transitu explorasset, bonis avibus Rostochium  
Anno M. DC. VII. mense Julio appulit, ibidemq;  
à Viro humanissimo Dn. M. VALENTI-  
NO STRELENIO p. m. hospitio per humaniter  
est exceptus. Hic cùm Hempelium nostrum stu-  
dio Juris animum applicuisse, sumptus verò,  
quos id requirit, è patria ipsi haud affluxuros ani-  
madverteret, eundem Amplissimo & Consultis-  
simo Dn. D. JOHANNI Sibrand p. m. Professo-  
ri tum temporis Academiæ celeberrimo & post  
Reipub. Rostochiensis Syndico gravissimo com-  
mendavit, apud quem Amanuensis operam, ut  
Praxin Juridicam ex Actis quotidianis, & electione  
mellioris notæ scriptorum addisceret, præstare  
non est dedignatus. Uti igitur aliàs docilis soler-  
tia difficultates artium facillè vincit ac superat, ita  
paucorum annorum, quibus à manu prælaudati  
insignis Practici fuit, spatio Praxin forensem do-

mi pensiculatè notando cognovit, ut in forū pro-  
dire & voce ac stilo aliis patrocinium comodare  
jam posse videretur. Quod cū de ipso iudicium  
passim fieret, año 1611. ab Amplissimo hujus urbis  
Senatu munus Procuratoris in utroq; tam supe-  
riori quàm inferiori iudicio ipsi nec ambitienti  
est collatum, eodemq; tempore Notarius, ac du-  
ctâ uxore **ELISABETHA Bohnen** fœmina præ-  
stantissimâ Maritus factus est. Procreavit ex ea  
duas filias & unicum filium. Filiarum natu major  
**CHRISTINA** civi hujus urbis integerrimo **PE-  
TRO Zoendorffen** nupsit; minor **D OROTHEA**  
ante decennium cum insigni parentum luctu  
diem suum obiit. Filius est Vir-juvenis Clarissi-  
mus & eximius **M. JOHANNES HEMPELIUS**,  
quem virtutis & doctrinæ laude conspicuum ne-  
mo nostrum non novit, isq; suo satis exemplo  
paternam in educatione liberorum pietatem,  
curam, fidem & sedulitatem testatur. Vixerunt  
ambo conjuges, quamdiu fata sinebant concor-  
dia arctissimè conjuncti: quæ quantò major fuit  
37. annorum tempore roborata, tantò discidiū,  
quod mense Majo præcedentis anni morte Uxo-  
ris contigit, Mariti animum gravius afflixit. Por-  
rò quod functione ejus spectat ( quæ sunt ver-  
ba mœstissimi filii ) *quantâ curâ fide & dexteritate ab  
omni furo fraude & iniquitate alienus, in iudiciis pauperum aequè  
ac divitum, præsertim orphanotrophii, sacrarq; ades concernentes  
causas*

causas egerit, iudicia & iudices abundè loquentur; sufficere potest paucorum ex eorum ordine suffragium, qui absentiam eius tum temporis, cum morbo conflitaretur, iudicia admodum sentire profesti sunt, quicquid etiam forsean dixerint, qui quod impetrare contra equitatem volebant, non poterant, & propterea calumniis, obre-  
tationibus se vindicare præsumunt. Scio enim hanc absq; ullo discrimine Causidicorum esse fortunam, nec ferè aliter fieri posse, nisi ut qui partis unius defensare vult justitiam, ab altera ingratiam re-  
portet: irreconciliabili etenim odio justitia & iniustitia decertant, quidni ergo & justus & injustus? Cæterum postquã ob mul-  
tiplices per totũ vitæ temp<sup>o</sup> exantlatos labores cor-  
poris sensuũq; vigor sensim infirmari cœpit, quatu-  
or abhinc annis gravior quidã morbus etiã ipsũ in-  
cessit, qui, quamdiu durabat, non solùm vires magis  
attrivit, sed abscedens etiam perpetuam membrorũ  
lascitudinem & memoriæ tarditatem reliquit. Quæ  
infirmitas ingravescente jam senio per se laboribus  
impar luctu domestico, quem suavissimæ Conjugis  
obit<sup>o</sup> attulerat, adeò est aucta, ut à septimo septem-  
bris die in publicum prodire amplius non potuerit.  
Abjectã igitur rerum civilium curã velut sarcinã  
quadam totum se cælestibus meditationibus, quas  
& semper profanis officii negotiis præponere sole-  
bat, immerfit, & immemor terreni tribunalis ani-  
mam ad comparandum coram tribunali & iudice  
cælesti præparavit. Accersito igitur Confessionario  
Viro Reverendo & Clarissimo Dn. M. CHRIS-  
TIANO MICHAELIS ad D. Jacob. Pastori fide-  
lissimo binis vicibus à prædicto tempore, quinto  
scil.

fcil, Novembris anni præcedentis, & 13. Januarij  
anni præsentis, quo morbus admodum accreverat,  
confessionem edidit, ac in certitudinem salutis æ-  
ternæ solatium corpore & sanguine Christi sese ci-  
bari curavit. Exin plenus spe fideq; in Christum  
horam dissolutionis exspectavit, & quamvis ob  
desiderium emigrandi tarditatem auxilii divini im-  
patienter ferre videretur, verbo tamen cælesti ere-  
ctus voluntati divinæ placidè, acquievit. Quin & *in*  
*verbo sibi predicato velut divino vivere se sese mori vel-*  
*le* professus est, & subinde aureo illo Cantico, *Gott*  
*der Vater wohne uns bey* &c. Sacrosanctam Tri-  
adem invocavit. Tandem XX. die Januarij horâ nona  
vesperinâ animam toties Deo commendatam inter  
preces adstantiû Creatori suo placidissimè reddidit.  
Ita Hempelius noster iter à sibi supremo Numine  
præfinitum laudabiliter decurrit, ac quò tendebat,  
terminum beatissimæ imortalitatis procul à strepi-  
tu forensi & fraudibus seculi Anno ætatis suæ LXV.  
feliciter est assecutus. Vos, Academiæ cives, exuvias  
corporis terræ matri mandandas ut frequentes com-  
itemini, cumq; in finem in æde D. Jacobi hodie  
hora prima lubenter conveniatis officiosè & pera-  
manter rogo. P. P. Rostochij XXIV. Ja-  
nuarij Anno ∞ Ioc XLIX.














dio proprio Marte excerptarum manu scri-  
mœstissimo nunc filio velut laboriosæ su-  
gentiæ juvenilis insigne argumentum co-  
nicavit & reliquit. Anno dehinc ætatis su-  
simo tertio, cùm Vratislaviensi schola, in  
solùm artium inferiorum ac trivialium,  
philosophiæ cursum propemodum abso-  
relictâ, Academiam quandam petere me-  
tur, nostram hanc potissimum elegit, & cū  
tum Academiæ Francofurtensis ad Viadr  
transitu explorasset, bonis avibus Rosto  
Anno M. DC. VII. mense Julio appulit, ibi  
à Viro humanissimo Dn. M. VALE  
NO STRELENIO p. m. hospicio per hum  
est exceptus. Hic cùm Hempelium nostru  
dio Juris animum applicuisse, sumptus  
quos id requirit, è patria ipsi haud affluxur  
madverteret, eundem Amplissimo & Cor  
simo Dn. D. JOHANNI Sibrand p m. Pro  
ritum temporis Academiæ celeberrimo  
Reipub. Rostochiensis Syndico gravissimo  
mendavit, apud quem Amanuensis opera  
Praxin Juridicam ex Actis quotidianis, & le  
melloris notæ scriptorum addisceret, pra  
non est dedignatus. Uti igitur aliàs docilis  
tia difficultates artium facilè vincit ac supe  
paucorum annorum, quibus à manu præ  
insignis Practici fuit, spatio Praxin forensis

A 3

